

Justus Christoph Schomer

**Programma Quo Iustus Christophorus Schomerus ... Superintendens
Meclenburgensis, Suo & Facult. Theol. nomine ad Disputationem Inauguralem De
Separatismo, Volente Deo a ... Dn. M. Jacobo Hieronymo Lochnero, hactenus ad
S. Nicolai Wismariae Pastore ... nunc vocato Superintendente Bremensi ... Ad d.
XXIII. Septembr. 1686. ... publice proponendam ... solenniter & officiose invitat**

Rostochi[i]: Weplingius, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736015078>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 23.Sept. 1686

Schomerus, Just. Christ^d

PROGRAMMA

²⁰⁰
JUSTUS CHRISTOPHO-
RUS SCHOMERUS,

S. Theol. D. & P. P. Consistorii Assessor &
Superintendens Meclenburgensis,

Suo & Facult. Theol. nomine

ad Disputationem Inauguralem.

DE

SEPARATISMO,

VOLENTE DEO

à VIRO Admodum Reverendo & Excellentissimo

DN. M. JACOBO HIERONY-
MO LOCHNERO,

hactenus ad S. Nicolai Wismariz Pastore, & Consist.

Reg. Assess. nunc vocato Superintendente Bremensi, Eccl.

Cathedr. Pastore Primario & Consist. Brem. &

Verdens. Assessore gravissimo

Ad d. XXIII. Septembr. 1686 horis antem. & pomeri d.

in AUDITORIO MAJORE publicè proponendam,

Magnificum DN. RECTOREM & Omnem Ex-

cellentissimorum Professorum, Literatorumq; or-

dinem, suo quemque honore atque titulo conspicuum,

solenniter & officiosè invitat.

Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

1686

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



Uo sunt, quibus totum

Christiani hominis officium tanquam summis capitibus comprehenditur. *fides & charitas*, quorum ut arctissimus & insolubilis nexus est, ubi sine fuce habetur nominum veritas, ita inepta affectatio mutuâ in se æmulatione furit. *Qui* amoris fraterni cæco impetu feruntur, fidei regulas omnes proculcant, ut quâm la-

tissimè concordia extendatur; quos cura integritatis fidei imprudentiùs angit, amori locum præcludunt, ne quem infirmum fratrem tolerant, hostiles utrinque pugnas gemellis Spiritûs S. fructibus esse rati; perniciosissimâ Satanæ calliditate miseros mortales circumveniente, ne unquam sibi plena constet veri Christianismi facies. Vidimus pridem *Libertinorum* colluviem, ut symbolis ecclesiæ bellum *ἀσχυρόν* indicant, & dum omnibus cupiunt, omnibus claustra laxant, neminemq; à communis spei consortio excludere volunt, viam salutis unicam sibi & alii evertant. Contrariis agitantur studiis, qui *Separatista* vel *Schismatici* appellantur, qui semitam arctam non nisi exclusis damnatisqve cunctis, quos vel levissima nota videtur distinguere, se tenere censent.; illi omnes ferre possunt, hi neminem, illis, pietas in eo posita est, ut Deum negligant, his ut homines oderint. Olim dissensiones de episcopatu frequentissimam dederunt schismati causam, ita ut Hieronymus inde definitionem ejus petat, cum in *Tit. c. 3, inter heresin*, inquit, *& schisma hoc interesse arbitramur, quod heresis peruersum dogma habeat. schisma propter episcopalem dissensionem ab ecclesiâ pariter separet.* Cum enim plures eidem dignitati imminerent, omnes suarum partium studiis nixi, alii etiam varias ob causas sede, quam tenebant, deturbati populum vel ejus aliquam partem

la

lateri suo perpetuò adhaerentem secum traherent, passim scindébantur ecclesiæ, & quamvis fidei atqve spei consensum retinerent, amore tamen atqve odio certabant. Sæpe unius hominis ambigua vel condemnatio vel absolutio integras provincias & totum pœne Rom. imperium in partes scidit, ut se mutuò episcopi communione prohiberent, Quo schismatis malo etiam Roma creberrimè laboravit, pro majore ejus apicis potentiâ magis etiam se ibi exerente purpuratorum ambitione, ut per plures aliquando successores in posteritatem transmissa duraret contentio. Sed postquam res ecclesiarum aliarum partim à Romani pontificis, partim à Regum atqve principum potestate cœperunt arctius pendere, in illis hæc causa non amplius tantos motus excitare potuit. Alia est nec apud veteres infreqvens, nostris autem temporibus nimium familiaris, quæ multos ab ecclesiæ unitate abducit, purioris sanctitatis opinio, quâ ab omnibus discreti esse cupiunt fanatici homines. Effudit se per omnem agrum Domini non levi impetu variis distinctaviis & nominibus, renascens veterum Catharorum ambitio, quæ dum levissimas in aliis quibusque stipulas horrendum detestatur, in suis sibi foedioribus maculis cœcutit. Difformes sibi in omnibus licet ejusmodi homines in eo tamen uno conveniunt, quod cum nemine conveniat sibi, timidus semper nequo contagio temerent defœcatam, ut opinantur, vitæ puritatem. Ea vero puritatis ejus nota esse creditur stultis, in alias ecclesias, illarumque presbyteros strenuè debacchari & quæcumq; de mysticâ Babele in S. literis occurrunt, vel de sacerdotum quondam leviticorum vitiis, plenis plaustris in nos tanquam divinitus sic notatos conjicere. Sed ut rectè Hieronymus eodem quem laudavimus loco dixit: *Nullum schisma non sibi aliquam fingit heresim, ut rectè ab ecclesiâ recessisse videatur*, ita etiam dum alii aliud carpere volunt, quod ei calumniæ colorem addat, in plures prolabuntur sæpè gravissimos, sæpe etiam (si ita dicere fas est) ridiculos errores. Alii salarii,

clericorum offenduntur, alii honoribus, alii disputationibus Academicis, alii ritibus ecclesiae, alii moralium quaestionum solutionibus, omnes remissiore peccantium censuram, quodque se illis vehementius opponunt, absurdiora comminiscuntur, ut vel omne ministerium evangelii damnent, vel scripturarum virtutem & usum, Sacramenta ecclesiae, partemque Christi meritis justitiam, renovatorum imperfectionem, & quid non? penitus evertant vel negent, denique vana mentis ludibria pro divinis revelationibus, insaniam proprietate amplectuntur. Quae non monstra opinionum protulit in Angliam odium episcopalis regiminis? quibus non parricidiis litatum est furori in superpellicea & crucis figuram & Eucharisticae mensae situm involanti? Et illi tamen omnes motuum civilium tibicines in fidei vitaeque supra alios encomium puritanum nomen affectabant. Multi qui sapientiam literariam & disputationes Academicas calumniantur, infinitis scinduntur ipsi disputationibus, & quamquam ipsarum dignam aestimant, quare se mutuo communiione interdican. De miram hac excommunicandi separandique sui audacia digna relatu est historia, quem refert Barclajus *part. 4. Euphorm. p. m. 305.* unde tanquam ex ungue leonem hominum istorum genium agnoscas. *Fortem, inquit, in unam superstitionem consenserat cum duobus liberis pater explebe vir, sive vulgus infra opum aut ingeniorum humilitatem aestimes. Illi tres unam rempublicam sectamque faciebant [& saepe non pluribus haec religiones constant] tandem perdicacius inter se de divina re agentibus, decessit primum a filiis pater, non quod meliora sentiret, sed diversa, & ab illis de communiione sanctorum [nam sic nugatores dicebant] eiectus est. Porro sancti non his alii praeter se ipsos erant. Mox autem & discissis mentibus alter fratrum alterum a caelesti consortio exclusit. Sic de angusta ecclesia & trium hominum numero definita tres quoque ecclesie natae sunt, prodigioso scelere & in amentiam prono. Quid de eiusmodi hominibus dicas, nisi quod de factione Felicissimi quondam Cyprianus episc. 40. poenas quas meruerant, pependerunt, ut a no*
bis

bis non ejeti ulro se ejicerent, ipsi in se pro conscientia sua sententiam darent, & de ecclesia sponte se pellerent. Certè enim censuram in se ipsum exercet, non in alios, qui sibi omnium hominum commercio interdicit, & apud se solus domi sapere videtur. Ab amoris concordia suos quondam discipulos agnoscere voluit Christus *Joh. 13. v. 25.* quo se caractere misere spoliavit, quibus non nisi litigia & morosa censurae placent, Verum est, primam veritatis, deinde alteram pacis curam esse debere: nec consensus impietatis Christianum hominem commendat. Ejiciendi sunt mali à consortio bonorum, evitandi hæretici, removenda scandala; sed ita ne humanae conditionis obliviscamur. Qui secum reputat, quam facilis omnibus error sit, quam varia boni cursus impedimenta, semperque major cognitionis atque sanctitatis progressio illa, quæ antea placuerunt, emendet, novit etiam quid de se sibi promittere debeat, & facile aliis ignoscet, si exactam veritatis normam non semper observent. Ut haberi potest ecclesia Dei, accipienda & servanda est, quamvis minore in gradu sanctitatis subsistat, non ut perfectissima quaratur, penitus destruenda. Plures peccaverunt Corinthii *1. Cor. 3. v. 1. c. 6. v. 5. c. 11. v. 21.* solus tamen pelliculus jubetur incestuosus *c. 5. v. 2.* multi erroribus impliciti hærebant, etiam illi qui gravissimus erat, ut resurrectionem mortuorum in dubiam vocarent *1. Cor. 15. v. 2.* sed Hymeneus tantum cum uno vel altero malitiae socio Satana tradebatur, *1. Tim. 1. v. 20.* Ciborum religiosa discretio & fratrum infirmitati datur, *Rom. 14. toto,* & doctrina est demoniorum, *1. Tim. 4. v. 3.* Nimirum interest quo quis animo erret, quæ correctionis spe, quæ causæ gravitate, quo scandalo aliorum. Interest igitur & quo elencho cujusque error excipiatur, leni animo an duro atque aspero monitor in illum invehatur. Multa lentis remediis tolluntur mala, quæ irritantur asperis sæpius dissimulatio sopivit hæresin, quam elenchus vehementior auxit. Sapienter temperare zelum par est: non urit vel secat medicus, nisi ubi

si ubi desperata omnia esse videt, nec aliter salvam esse posse totius
 corporis salutem. Dolemus eò hodie rem devenisse, ut non
 nisi in multiplici variarum sectarum à se divisione ecclesia
 nostra salva esse possit; ut plus, ne quæ fortè insidiosa pax cum
 falsis fratribus noceat, quàm ut coalitio vulnerum quærat, vul-
 gò monendum sit. Sed ita tamen Syncretismum fugimus, ne ini-
 quum schisma optemus, nec libertinismum Separatismo per-
 mutemus. Nullum schisma bonum est, nisi quod necessarium,
 attamen & quoddam necessarium. *Qui suam utilitatem potius con-
 siderant quàm unitatem ecclesie, qui propter modicas & quaslibet
 causas magnum & gloriosum corpus Christi conscindunt, illi demum
 iudice Irenæo schismatici sunt.* Nos verò necessaria causa à Rom.
 ecclesie communiōe abscidit, cum pelleremur, non sponte
 secederemus, neque nunc tutæ amplius sunt cum iis induciæ, qui
 non aliâ lege nobis amicitiam denuo suam offerunt, quàm ut
 quemadmodum cum Scotis quondam pecti in unam soci-
 etatem coaluerunt, in ipsis nomen formamque nostram, for-
 mam inquam doctrinæ omnem, perdamus. Necessaria nos ec-
 clesie salus à Calvinianis abstraxit, cum sub schemate nostro
 omnis populus ad pessimos errores sollicitareretur. Nec est bo-
 na amicitia, quæ hæreses probat, nec bona divisio, quæ salus
 ecclesie non efflagitat. Et fides integrè servanda est & charitas, si
 Christiani hominis officium cupimus explere. Itaque quò certius no-
 vimus, nos in Syncretismi fugâ à schismatis crimine esse im-
 munes, eo confidentius contra utrumque malum pugnamus.
 Ostendit nupere inaugurali Disputatione ex Facultatis Theologicæ decreto
 LIBERTINISMI mala eruditissimus auctor, tunc Candidatus nunc Licentia-
 tus Theol. dignissimus; Sed ne ab eâ tantum parte periculum esse ecclesie Dei
 arbitremur, ecce nunc adest, qui non minore solertiâ ac ingenio de SEPARA-
 TISMI vitio Disputationem pariter Inauguralem proponit. Virum intelligo
*Pl. Rev. & Excellentiss. Dn. M. JACOBUM HIERONYMUM LOCHNE-
 BUM, hætenus ad S. Nicol. eadè apud WisMariens. Pastore vigilantissimum,
 & Consist. Regii, quod ibid. est, Assessor. nunc verò vocatum Superint. Regium &
 catbedr. Eccl. Bremensis Pastorem, nec non Assessorè Consist. Brem. ac Verdenfis
 gravissimum, Amicum fautorem & in Christo Fratrem jam à pluribus annis*
 mihi

mihi conjunctissimum, virum, inquam, qui aetnae huic universitati non nunc demum
 commendari debet, cujus & conspicua pars quondam fuit & perpetuam memo-
 riam tum suâ virtute tum celeberrimi Soceri nomine satis clarus promeruit. Natus
 erat in hanc lucem Kalendis Martiis anno nati Salvatoris millesimo sexcentesimo
 quadragesimo nono, in celeberrimo Germaniæ emporio, reipublicæ splendore, o-
 pibus, ædificiis, artificiis, literis & præter maris oportunitatem omnibus hujus vitæ
 commodis florentissimo, Noriberga, ex Patre Ampliss. Doctissimoq; FRIDERICO
 LOCHNERO, nobilissimæ istius reip. Registratore fidissimo, ex matre autem, Ma-
 tronâ optimâ suisq; sexûs virtutibus ornatissimâ, FLORENTINA Stâchstein/Audi-
 verat in patrio Gymnasio eruditissimum Virum, *M. Job. Held*, Hebrææ lingvæ Prof.
 & Gymn. Rectorem, in Auditorio Ægidiano *Dan. Wulferum* in Phys. & Metaphys.
Martinum Beerium in Geographiâ & Historicis, *Christophorum Arnoldi*, in Oratoriâ
 & Poësi, tandem & perquam reverendum *Dn. Joh. Michaëlem Dilberum* in Theo-
 log. & Ethicis, Professores famigeratissimos, à quibus Anno hujus seculi LXVII.
 die III. Nov. auctore hoc celeberrimo *Dilberro* eodemq; benevolo Patrono illustris
 Senatoris Norici Alumnus factus, postea etiam stipendio Venizeriano adjutus,
 ad Aldorf, Academ. dimittebatur. Ibi quoque præcepta Excellentissimorum viro-
 rum prompto animo imberbat, Theologorum, *D. Joh. Weinmanni*, *Luc. Frid.
 Reinhardi*, *Joh. Conradi Durrii*, Histor. non eo tantum sed & literarum Hebr. & omni-
 genæ eruditionis nomine supra laudes nostras positi, certe decoris Germaniæ nostræ,
Joh. Christoph. Wagenfeldis, Philosophorû *Abdia Treu*, *Joh. Christ. Sturmii*, *Joh. Pauli
 Fehwingeri*, *Joh. Georgii Königij*, *Christoph. Molitoris*, & qui inspector erat œconomiz
M. Justi Jacobi Mulleri, omnium suis meritis atqve titulis ornatissimorum, publi-
 cis etiam disputationibus quâ Theolog. *de Peccato*, & in *A. C.* quâ Philos. *de Terra
 motibus* sub Excell. *Sturmio* A. 70. progressus undequaque laudabiles ostenderat,
 nomen præterea collegio curioso Sturmiano dederat, cum ipso Acad. illius natali
 festo Petro-Paulino ab Ampliss. Facult. Phil. brabeutâ *Dn. Durrio* duplici laureâ Phi-
 los. & Poëtica publice donaretur, & in vividioris ingenii aliquod incitamentum So-
 cietati, quæ dicebatur, floriferæ Pegnessiæ à Nobiliss. *Dn. Sigismundo à Birken*,
 sub nomine Amyntæ adscriberetur. His initiis sibi gradum ad majora atqve gra-
 viora struens A. LXXIII. mense Febr. Jenam, circa nundinas verò paschales Lipsiam pe-
 tiit, celebratiss. utrobique Profess. salutatis tandem Rostochium delatus est, ubi pri-
 mum hospitio & informatione *B. Zach. Grapij*, tunc *Theol. Lic. & Pastoris Peer. nec
 non Phys. & Metaph. Prof. Excell.* postea vero *D. & Superint. Mecklenb. nec non voca-
 ri Theol. Prof. gravissimi* fruitus est, deinde magno Academiæ tunc nostræ ornamento
Augusto Varenio feliciter innotuit, qui primum hospes filium unicum, nunc Phi-
 losophiæ Magist. & *Sereniss. Principum Mecklenb.* in spem Provinciæ succre-
 scentium informatorem ipsius tunc fidei commisit docendum, deinde A. LXXV, pro-

motor honorum Amplissimo collegio Ducali & illo interprete Serenissimo Principi ac Patrono nostro, Dn. GUSTAVO ADOLPHO eum commendavit, ut Professio Poëtica ipsi gratiosè committeretur, illis ornata publicis ingenii atq; eruditionis documentis, quæ me teste non indigent, tandem postquam A MDCL XVII à potentissimo Danicæ Rege, applaudente Senatu atqve populo omni Wismariam ad illud quod hætenus dexterrimè gessit officium vocatio successisset, etiam socer exoptatissimus extitit, collocatâ illi in matrimonium Filiâ secundo genita, florentissimâ tunc atqve ornatissima virgine, MAGDALENA JUSTINA, quod ut hætenus suscepta triplici prole felix fuit, ita ut majore subinde felicitate diutissimè servetur stabile, Deum precamur Ceterum nec eo loco virum divina providentia, potentissimi Regis Sveciæ singularis gratia, aliisqve certius quàm ipsi sibi perspecta ejus virtus voluit diutius subsistere. Quippe non tantùm à sexennio in Consistorium Regium, quod denuo illic erigebatur, ascitum, sed & sequente statim anno Regiis literis ad Generalem Superintendentiam Bremensis ducatus ecclesiarum clementissimè vocatum, quam submississimè tunc pro singulari modestiâ animi deprecabatur, nunc autem denuo aliis literis æqvè præter spem & votum omne advenientibus, alteri huic Regiæ Majestatis gratiæ succumbere, & quo Deo auctore, animos Regum instar rivorum profluentium (dirigente, trahitur, sequi oportuit. Cum autem novæ dignitatis atq; officii ratio postularet, ut quem diu jam promeruerat à Theologicis studiis honoris gradum summum assumeret, in hac potissimam universitate, cui se & soceri & suo nomine devinctum esse censuit, solennia illa obire decrevit. Peractum jam est secundum Facultatis Theologicæ leges examen, quod dicitur rigorosum, eo optimo successu, quem & adhibiti testes norunt & omnes faciliè etiam me tacente credent. Dignissimum esse, quem in publicum producamus, constat iis, qui vocem ejus hic de cathedrâ dudum sonantem audiverunt, constabitqve porro omnibus, quibus placuerit actum disputationis publicæ suâ præsentia ornatiorem frequentioremqve reddere. Quod ut placeat in honorem Facultatis Theologicæ & admodum Reverendi Candidati nostri, in gratam etiam memoriam venerandi loceri, cujus in hoc genero aliquam virtutis imaginem intuebimur, Magnificum Academiæ Rectorem & omnem Ordinem Excellentissimorum cujusq; Facultatis Professorum, Doctorum, Licentiatorum, Rev. Presbyterium, Clarissimos Philosophiæ Magistros & omnem generosam politissimamqve Studiofam juventutem, & quicumque literarum, sacrarum Fautores audire cupiunt, quâ par est humanitate atqve observantiâ invito.


P. P. Sub Sigillo Facultatis Theologicæ Dom XV. Trinitat.

Anno Domini MDC LXXXVI.



mihi conjunctissimum, virum, inquam, qui almae huic unive-
 commendari debet, cujus & conspicua pars quondam fuit
 riam tum sua virtute tum celeberrimi Soceri nomine satis clar-
 erat in hanc lucem Kalendis Martiis anno nati Salvatoris m-
 quadragesimo nono, in celeberrimo Germaniae emporio, re-
 pibus, aedificiis, artificii, literis & praeter maris oportunitate
 commodis florentissimo, Noriberga, ex Patre Ampliff. Doct-
 LOCHNERO, nobilissimae istius reip. Registratore fidissimo
 tronae optimae suisq; sexus virtutibus ornatissimae, FLORENTI-
 verat in patrio Gymnasio eruditissimum Virum, *M. Job. Hel-*
 & Gymn. Rectorem, in Auditorio *Aegidiano Dan. Walfferus*
Martinum Beerium in Geographia & Historicis, *Christophora*
 & Poesi, tandem & perquam reverendum *Dn. Joh. Michael-*
 log. & Ethicis, Professores famigeratissimos, à quibus An-
 die III. Nov. auctore hoc celeberrimo *Dilberro* eodemq; be-
 Senatoris Norici Alumnus factus, postea etiam stipendio
 ad Aldorff, Academi dimittebatur. Ibi quoque praecipua Ex-
 rum prompto animo imbiberat, Theologorum, *D. Job. W-*
Reinhardi, Job. Conradi Durrii, Histor. non eo tantum sed & I-
 genae eruditionis nomine supra laudes nostras positi, certe de
Joh. Christoph. Wagenfeldii, Philosophorum *Abdia Treu, Joh. Ch-*
Felwingeri, Joh. Georgii Königij, Christoph. Molitoris, & qui in
M. Justo Jacobi Mulleri, omnium suis meritis atque titulis
 cis etiam dispensationibus quae Theolog. de Peccato, & in A.
 motibus sub Excell. *Sturmio* A. 70. progressus unde quaque
 nomen praeterea collegio curioso Sturmiano dederat, cum
 festo Petro-Paulino ab Ampliff. Facult. Phil. brabeutae Dn. D-
 los & Poetica publice donaretur, & in vividioris ingenii alie-
 cietati, quae dicebatur, floriferae Pegnesiacae à Nobiliff. Dn-
 sub nomine Amyntae adscriberetur. His initiis sibi grad-
 viora struens A. LXXIII. mense Febr. Jenam, circa nundinas ve-
 titi, celebratiss. utroq; Profess. salutatis tandem Rostochi-
 mum hospitio & informatione *B. Zach. Grapij*, tunc Theol.
 non Phys. & Metaph. Prof. Excell. postea vero *D. S. Superint-*
 & Theol. Prof. gravissimi fruitus est, deinde magno Academiae
Augusto Varenio feliciter innotuit, qui primum hospes filii
 losophiae Magist. & Sereniff. Principum Mecklenb. in spen-
 tium informatorem ipsius tunc fidei commisit docendum,

the scale towards document



demum
 memo-
 Natus
 ntesimo
 dore, o-
 jus vita
 ERICO
 em, Ma-
 in/Audi-
 va Prof.
 etaphyf.
 Oratoriã
 n Theo-
 i LXVII.
 o illustris
 adjutus,
 um viro-
 uc. Frid.
 & omni-
 e nostrae,
 oh. Pauli
 onomiae
 n, publi-
 de Terra
 tenderat,
 ius natali
 urea Phi-
 ntum So-
 i Birken,
 tque gra-
 biam pe-
 ubi pri-
 Petr. nec
 non voca-
 namento
 tunc Phi-
 ccrelcen-
 XV, pro-